

† Ezecl. 20. 25. est: Præcepta non bona (t); sicut & illud Pauli (\*): Lex mandati carnalis. De lege vero secundum spiritum pronunciatum est: Rom. 7. 14. Scimus, quia Lex Spiritualis est (u). Hinc Apostolus docet: Litera occidit, Spiritus autem vivificat (x). 2. Cor. 3. 6.

Quamvis itaque ritus, & Sacra Judæorum, juxta corticem spectata, neque Deo placere unquam, neque Judæis servili præcepta illa animo obeuntibus justitiam promereri potuissent; quamvis majestate, & sanctitate Dei inferiora essent aded, ut neque ipse præcipere, sive voluptate ab illis aliquâ affici potuisset; in ea tamen, quam sibi statuerat, ideâ, systema scilicet Religionis apud crassiores, & carnalem populum statuendi, sicut & viam perfectiori ac sanctiori Religioni præstruendi, nihil ejus consilio conduxerat magis, quam

ut externas illas cæremonias, & ritus inveniret, quorum indicio Religionis illius (quod unice cordi habebat Deus) in cognitionem mortales venirent. Sicut enim semper Deus, & Filii sui sacrificium, & Legis novæ veritatem sibi ante oculos præstituit, ita planè & Legis veteris præcepta, & sacra ritusque omnes injunxisse par erat, quibus ad finem intentum via instrueretur. Externæ illæ Mosaicæ cæremonia futuris indispensabili necessitate præludebant: quam quidem figuram non attendentes Judæi, in eo potissimum errarunt; pro solida nimirum veritate accessorium & umbram sequuti, atque Legis sine neglecto ipsam tantum Legem sectati: Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum... nunquam potest accedentes perfectos facere (y).

y Hebr. 10. 1.

# DISQUISITIONES

## DE NATURA, CAUSIS, ET EFFECTIBUS LEPRÆ.

**P**relectis, nec incuriosè, iis quæ de Lepra, cujus est apud Moysen sermo, Interpretes differuerunt, nihil, quod expectationem ea de re nostram impleat, deprehendisse mihi visum sunt. Peritissimi inter illos ea deduxisse contenti, quæ apud Medicos & Philosophos traduntur, factâ corum cum Mosaicis collatione, quid potissimum differant, & in quo maxime ambæ hæ narrationes conveniant, legentibus exhibent. Reliqui verbis Textus Mosaici tantum inhaerentes, de alia planè quàm vulgari lepræ sermonem esse in S. Scriptura autumarunt. Nec desunt ex Rabbis quidam, qui saltem lepram vestium & adium à Deo vindice in Israelitas, infidelitatis & murmuris reos, prodigio immisam suspicantur (a); quorum sententiam Patres nonnulli (b) & Commentatores probasse suffragio suo visum sunt.

a Maimon. Gerund. Racanati, Sepharadi apud Munster. b Theodoret. 9. 18.

D. Clericus in Dissertatione de hoc argumento reputasse visus est, lepræ morbum inter eos habendum, quos stans quibusdam temporibus, vel in certa quædam Regna, Dei Providentia immittit. Satis enim superque scitum est, genera esse quædam morborum nostrâ ætate, quorum nulla fuit apud veteres cognitio; nec potest varientis interdum naturæ ratio ulla assignari.

c Lib. de affection.

Hippocratis autoritas (c), qui lepram non morbum quidem, sed corporis vitium esse asseruerat, plerisque post illum Scriptores longè multos in eam sententiam pertraxit, ut lepram, de qua in utroque Testamento, vitiliginem quandam, non tractandam ut morbum, sed repurgandam ut for-

des, fuisse suspicarentur. Quod item probans Arnobius de Christo Leprosum mundante ait (d): Notas albicantium vitiliginum manu admodum deterfit. Ed etiam spectans Turnebus (e), leprosus Evangelii maculis quibusdam vitiatam habuisse cutem autumavit. Theoderus Beza (f) aliam fuisse lepram censet, quàm Græcorum Elephantiasim, morbum planè pervicacem, de quo apud Scriptores frequenter.

d Arnob. l. 1.

e Turneb. l. 15. c. 21.

f In Matt. 8.

Alii verò [g] ipsissimam Elephantiasim, quæ lepræ genus est perniciosissimum, in S. Scriptura designatam malunt. Alii nostræ ætatis Scriptores in lepra veterum, ipsum, quem nos Gallicum morbum, inveteratum agnoscunt; quod D. Tournesortio, leprosum in suis itineribus oculato teste, visum est. Ex eo morbo vulgaribus remediis rari quidem convalescunt; tabescunt plerique, quod humores peccantes corporis harmoniam prorsus corrumpunt. Sanè lepram morbum esse, à quo sibi omnes summopere semper caverunt, ambigit nemo; ut ne commune quidem leprosum cum cæteris fuisse sepulchrum ex S. Scriptura intelligamus (h).

g Gloss. Cyrilli

h 2. Par. 26. 23.

Hanc opinionum discrepantiam ex eo facile invehi potuisse credimus, quod nec textus Mosaicus sedulo examini subiectus fuerit, nec satis cum Græcorum Authorum eâ de re sententis collatus. Quemadmodum enim Moysen non unius tantum lepræ genus complexum fuisse constat, ita quoque nullum ejus morbi remedium indicavit, regulas tantum constituisse contentus, quibus virulenta atque contagiosa lepra ab alia purâ, cui virulentum & contagiosum nihil, distingueretur. Hac datâ occasione, corporis etiam alia vitia perscri-

seribit, quæ lepræ quidem speciem, sed non virus referunt. Nec præterire oportet, in Scriptura, ac in Vulgata potissimum, frequenter contingere, ut lepræ nomine non morbus ipse, sed morbi præludia & dispositiones, vel saltem indicia morbi, quibus suspicio ingeritur, designentur. Scitum est tandem, apud Moysen lepram quandam ædiurnam, & vestium occurrere, de qua alium apud Authores cæteros silentium. Ex quibus omnibus pronum est colligamus, vocem illam Hebræam Zarat latius multo quàm Græcum, & Latinum Lepra patere; quare è re fore censemus, si exactam de variis significationibus hujus Hebrææ vocis ideam antea exhibeamus, quàm quidquam de lepra, cujus in Scriptura sermo, differatur.

Moyses Levit. 13. varia percurrit incommoda, quæ ad lepram referri aliquâ saltem ratione videntur. Primò igitur indicia nonnulla, quibus suspicio morbi ingeritur, designat. Omnium primum tumor extimus (i); alterum pustula (k) vel ulcus; succedit albens & candens vel etiam rubescens macula; nam rubescens macula, quandoque lucens & candens appellatur [l]. Omnia hæc indicia sunt, quibus iuxta lepræ suspicio inducitur. Ut autem rei veritas attingeretur, leprosus coram Sacerdotibus se sistens, certo quodam in loco 7. vel 14. diebus clausus detinebatur; quò scilicet eo temporis spatio morbus explicare se, atque certis indicibus deprehendi potuisset. Hæc indicia 1. albens, rubescens, & lucens in pelle macula; 2. pili eo loco pallentes, & rufi; 3. locus pro reliqua cute humilior.

i Scheet. k Sopabat.

l Levit. 13. 20. 24.

m Levit. 13. 6.

n Ibid. Vers. 11. 13.

o Ibid. Vers. 10. 15.

p Levit. 13. 19. 20. 24.

q Vers. 29. 30.

r Vers. 34. 35. 36.

Albescens macula, si nihil haberet reliqui, minor erat quàm ut lepram indicaret; si crevisset, statim leprosum prodebat. Maculæ illæ interdum scabies erant (m); interdum rubor quidam pellem vitians. Cum totum corpus albo quodam nitore à capite usque ad pedes candesceret, lepra erat mundissima, ait Moyses (n). Cum verò totam pellem faciem pustulæ albentes foedarent (o), atque pustulis viva caro subesset, itemque pili circa illas nativum colorem in album transmutassent, lepra vetustissima indicium erant apertissimum.

Si forte cicatrix ex vulnere seu combustione, albo quodam tumore, sive maculâ albescenti, lucidâ sive rubescenti obduceretur, tum verò reliquâ cute locus esset depressior, atque pili pallescentes flavescerent lepram hæc omnia certissimam indicabant (p).

Tandem si quis in capite viri vel foemine locus depressior occurreret, ibique crines colorem immutassent, lepra statim indicium pronunciabatur [q]. Si verò de lepra suspicio tantum haberetur, statim pili omnes novaculâ radebantur, excepto morbi loco; tum septem dierum experimentum capiebatur. Eo temporis spatio aucta in majus macula certum lepræ suborientis indicium præbebat, nihil de colore comè habitâ ratione (r).

Maculæ albentes, seu rubescens, atque reliquâ cute lucidiores, si quæ in calvo Dissert. Calmet. Tom. I.

capite deprehenderentur, lepræ non obscurum dabant indicium (s).

s Ibid. Vers. 42. 43.

Hæc de lepra hominum Moyses, ex quibus certa lepræ indicia quinque colliguntur: 1. albens in cute macula, cui & locus depressior & pili in flavum sive rufum mutati accedebant.

2. Pustulæ in cute asperæ rubescens in basi, atque ex viva carne suborientes; quod vetustissimè lepræ indicium erat.

3. Tumor albus lucens, sive rufus in cicatrice, reliquo corpore humiliori, cui in album mutati pili accederent.

4. In capite locus depressior, atque crines in flavum mutati.

5. In calvo capite alba sive rufa macula.

Tria lepræ, vitiliginis, genera Celsus distinguit (t). Harum prima albam appellat, Græcè alphon, albam nempe, quod albâ maculâ in cute hominum efficiatur, sive potius albescens guttis constat, quibus tota pellis non continua reddatur, & aspera. Interdum non una est macula, sed plures; interdum latius serpunt, atque augentur. Alterum lepræ genus nigrum appellat, colore tantum à priori diversum. Tertium tandem leucon, seu album; priori altius imprimatur, atque difficilius curatur. Pili in locis corporis lepræ affectis albos efficiunt, tenues, & lanugini similes. Nec difficile tantum, sed ferè nunquam totum curatur; atque pelles eo morbo semel infecta, nativo coloris nunquam restituitur. Porro maculæ illæ albescens, quas supra ex Moysè adduximus [u], ad primum lepræ à Celso descriptæ genus referri possunt. Pustulæ vivæ (x) carni inhaerentes ad tertium Celsicæ lepræ genus, quod etiam spectat & lepra cicatrices efficiens; vers. 19. 20. 24.

t Cel. l. 5. capo 28. §. 17.

u Levit. c. 13.

x Vers. 10. 15.

Quod autem ad lepram illam Mosaicam spectat, tumore constantem albo, in basi rubro, & ad basim vivâ carne ad Elephantiasim, lepræ genus perniciosissimum, referri posse credimus. Ejus morbi veneno caro asperatur, inæqualis veluti corium elephantis efficitur; cutem abrodens, pruritu est molestissimo. Squammis tota caro obducitur instar piscis, scætat ulceribus, veteriosis illis atque pluribus in unum coeuntibus. Is verò stupor carni inducitur, ut ubi maxime sensuum vis explicatur compuncta caro, nullo doloris sensu afficiatur. Pili totius corporis breviores efficiuntur, tenues, rigentes, qui si avellantur, unâ secum trahunt carnem corruptam, cujus aluntur sanie; avulsos verò si iterum suboriri contigerit, in capite & mento flavi nascuntur.

Lepræ adultæ jam, sicut etiam inveteratæ, indicia hæc potissimum à Medicis assignata; si vox asperetur, velut canis post diuinam latrationem, è naribus potius quàm è labiis expressa; si pulsus debilis, gravis, lentus fuerit & intricatus; si sanguis prodierit granis quibusdam veluti milliaceis albensibus, & lucidis admixtus; ad hæc scabiosa quadam ferocitate viscidus, nativo verò humore ita de-